

XLV.

Cum Rev. ergo & Clar. Dn. D. Meisnero hoc membrum concludimus, & quale hic principium intelligamus exponimus 1. *Principium creationis*, in quo non cæpisse, sed jam fuisse seu exstitisse λόγος dicitur: ἐν ἀρχῇ enim ait Evangelista ἦν ὁ λόγος: 2. *Quodvis principium temporis extra Deum* quod ab hominibus cogitari vel concipi potest, & in hoc jam fuisse imo ante illud jam exstitisse λόγος dicitur: 3. *Principium æternitatis* seu æternitatem ipsam, quod enim fuit ante omnem creaturam fuit creator ab æterno, tolle enim principium illud creationis & retrospice, nihilq; nisi quod Deus fuit habebis, inquit præclare Basilius. Ubi tamen & hoc addimus per voculas ἐν ἀρχῇ & ἀπὸ δεξιῆς (hæ enim eandem significandi vim habent) non directe vel formaliter æternitatem quod intellectam velimus, sed materialiter & consequenter; Hanc igitur Majorem ex qua Minorem & conclusionem forment ipsi, adversariis obtrudimus: In principio esse, proprium est solius Dei, nulli creaturæ competens,

III. MEMBRUM.

XLVI.

Progredimur ad 3. membrum, ubi de vocabulo Dei Christo ab Evangelista tributo disquiritur, sitne illud proprium, an vero metaphoricum? Naturæ vel officii? Essentiale vel Accidentale? Posterius asserunt Photiniani; Prius nos: falsitas ergo Photinianæ assertionis prius ostendenda; deinde veritas adstruenda;

XLVII.

Sic igitur contra illam insurgimus: Cujus expositionis ratio nulla firma demonstratione probari potest, illa falsa & erronea esse judicatur; Atqui Photinianæ expositionis ratio nulla firma demonstratione probari potest. E. Minorem confirmamus: quia 1. ex textu illud fieri non potest, nam si propter Photinianam glossam mihi credendum est, vocabulum Dei Christo attributum esse metaphoricum,